

PRIMUM PROBLEMA.

nem & numerum immediate sequentem, tunc itaq; angulus communis iungendus est numero immediate sequenti, & cum aggregato agendum est pro parte proportionali elicienda, ut iam pridem cum differentia anguli communis numeri; sequentis.

*Cautela.* Verum si postremo non posset fieri subtractio ab angulo communi, fiat è contrà, subtrahendo videlicet angulum communem ab ipsa parte proportionali, & relinquatur declinatio quæsitæ, alterius tamen denominationis, quàm erat angulus communis.

Et si planeta nullam habuerit latitudinem, intrabimus præfatam tabulam cum vero loco planetæ, & ex directo eius in columnula media, supra quam nullus scribitur numerus latitudinis, habebimus declinationem quæsitam.

Similiter agemus planeta latitudinem habente in minutis duntaxat, hoc vno tamen adiecto, quod declinatio in angulo communi occurrens conferatur ad numerum ei collateralem: finistrum quidem, si latitudo septentrionalis fuerit, dextrum autem si meridiana: & de differentia numerorum accipiatur pars proportionalis, quemadmodum superius monitum est.

Quamvis autem de planetis solum hucusq; sermo sit habitus, potest tamen hæc tabula stellis etiam fixis accommodari, illis videlicet, quæ latitudinem 8. graduum ab itinere solari haudquaquam egrediuntur.

*Exemplum.*

In exemplo facilius forsitan accipies. Habeat planeta quispiam gradus 12. minuta 15. Virginis, cum latitudine septentrionali graduum 3. & minutorum 24. Inuestigaturus igitur declinationem eius ab Aequatore, video gradus 12. Virginis, in latere sinistro tabulæ, 3. autem gradus latitudinis in fronte eiusdem tabulæ, sub quibus descendo vsq; aduersum 12. graduum Virginis, ubi offendo numerum anguli communis graduum 9. minutorum 51. cuius quidem anguli communis & numeri immediate subsequenti differentia est 23. minuta, de quibus accipio partem proportionalem secundum proportionem minutorum 15. longitudinis, ad 60, quartam scilicet partem, quæ est ferè 6. minuta. Hæc autem pars proportionalis minuenda est, quod numerus subsequens angulum communem, minor eo fuerit.

Similiter conféro angulum communem ad numerum ei collateralem versus sinistram, cui latitudo planetæ septentrionalis subiecta est, & de differentia quæ est 55. minuta accipio partem proportionalem secundum proportionem 24. minutorum latitudinis, ad 60. illa pars proportionalis est 22. minuta, addenda videlicet, quod numerus collateralis, angulo communi maior occurrit. Dempta itaq; parte proportionali longitudinis ex parte proportionali latitudinis, manent minuta 16. quæ adiuugo angulo communi, & tandem inuenio declinationem planetæ septentrionalem 10. graduum & 7. minutorum. Reliquas autem varietates operationum cum & faciles sint, & ex iam nunc memoratis edisci possint, ingenio tuo relinquendas censuimus, ne dicacitati potius quàm utilitati studuisse videamur.

SECUN-